



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XVIII. Vtrùm Theologus inutiliter laboret, qui Doctrinam suæ  
contradictoriam tutam putat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

# QUÆSTIO DECIMA-OCTAVA.

*Vivum Theologus inutiliter laboret, qui Doctrinam suam contradictoriam tutam putat?*

Celladeus in aliquibus quæst. scopum suum deserit.



**Q**UÆSTIO ista ad præsentem tractatum pertinet, & à Celladeo lib. 1. quæst. 13. discutitur. Quocirca eam examinandam suscipio, ut veritas elucescat, & quod Celladeus contra veritatem objicit, diluatur. Interim omitto ea, quæ Celladeus quæst. 11. & 12. congescit, eò quòd in illis scopum deserat. Intentum ejus erat agere contra probabile, quod vocat consuetum, & ea asserere, quæ communem sententiam infirmare possunt. Verùm, hoc relicto, quæst. 11. quærit an ille redderet Theologiam moralem inutilem, qui diceret, omnes omnino Auctorum & librorum opiniones non notatas esse probabiles & tutas? Porro in declaratione hujus quæstionis, apertè fatetur, Auctores benignæ sententiæ longissimè abesse à tali assertione. Et quod plus est, in dubium revocat, an quisquam sub ea universalitate id ipsum dixerit. Nihilominus quæstionem ipsam vult tractare, ideoque non absolutè, sed conditionatè procedit, & quærit quid sequeretur, si aliquis ita diceret. Hæc ad præsentem quæstionem non pertinent. Quare ego hominem, qui viam inchoatam deserit, non sequar; nec ejus exemplo meum intentum deseram. Similiter quæst. 12. quærit utrum aliquis mente credat, omnes Auctorum & librorum opiniones non notatas esse probabiles & tutas? Hoc etiam ad rem non facit, cum nec nos, nec Auctores nostræ sententiæ, nec quisquam alius, quod sciam aut audiverim, talem propositionem protulerit. Quod si quis sciulus, & Theologiæ ignarus, tali propositioni fidem dederit, Celladeus, per me licet, ipsi persuadeat, quod mente non credat, quæ ore profert. Hoc nostrâ nil interest, cum ad præsentem tractatum non pertineat. His ergo omisiss, ad alia pergendum est. Sit ergo.

## ASSERTIO PRIMA.

*Omnes, antequam licitè sequi possint partem minus tutam, ad ipsam veritatem cognoscendam entit tenentur, quantum quisque potest & debet pro rei cujusque qualitate.*

Omnes in rebus incertis tenentur entit ad veritatem ipsam cognoscendam.

**H**Æc assertio probatione non indiget, quia omnes ejus veritatem ultrò agnoscunt. Nos quidem hanc obligationem imponimus, eam etiam imponunt adversarii, sed eà contenti non sunt; docent enim, nos etiam post debitam diligentiam adhibitam, & resolutionem probabilem in favorem libertatis adinventam, adhuc ad partem tutiorem teneri. Itaque nobiscum exigunt totum, quod ponit assertio, sed in R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

hoc à nobis discrepant, quòd eà contenti non sint. Itaque præsens assertio sumi debet tamquam principium ab omnibus admissum, ut ex illo, quæ controversa sunt, facilius determinentur. Hoc ergo principio posito, sit

## ASSERTIO II.

*Theologus, in rebus nondum diligenter discussis, non frustra laborat, determinando partem tutiorem esse veram, quamvis post omnem industriam existimet, partem contradictoriè oppositam esse tutam.*

**3. P**ROBATUR assertio. Qui operando implet munus suum, suæque satisfacit obligationi, non frustra laborat. Sed Theologus, qui determinandis rebus nondum si fficienter discussis industriam suam diligenter impendit, implet munus suum, suæque obligationi satisfacit, determinando partem tutiorem esse veram, quamvis agnoscat partem contradictoriè oppositam esse tutam. Ergo non frustra laborat, quamvis post omnem industriam adhibitam reputet partem suæ sententiæ contrariam esse in praxi tutam. Major patet ex terminis. Minor certa est ex assertione 1. & ex officio, quod Theologus talem casum resoluturus assumit. Implet enim officium per diligentiam adhibitam, determinando partem, quæ omnibus pensatis ipsi vera videtur. Nec obstat hujus obligationis impletioni, quòd partem alteram tutam existimet; quia hæc existimatio ad ipsam muneris sui impletionem necessariò consequitur, eò quòd funderetur in magnitudine motivorum, quæ in casibus resolutione se prodiderunt; sunt autem rationes illæ, & post omnem industriam reperiuntur esse tanti momenti, ut eas probabiles esse negare non possit. Unde cum aliunde firmissimè credat, omnem opinionem probabilem esse tutam, non potest non reputare partem, sententiæ suæ contradictoriam, esse tutam. Itaque præmissæ sunt veræ. Consequentia autem legitimè deducitur, ut patet. Et sanè neminem de hujus assertionis veritate dubitare posse existimo. Unde eam aliis argumentis non confirmabo. Solum noto, omnia, quæ in sequentium confirmationem afferentur, à potiori assertionis istius veritatem roborare.

In rebus non è examinatis, pars contraria præ præ opinioni, rectè traditur esse tutam.

## ASSERTIO III.

Idem rectè traditur in rebus ante exam. natis.

*Non frustra laborat Theologus iterum examinando res utrimque jam certò probabiles; si spes veritatem certò detegendi, aut alteram partem probabilitate spoliandi affulgeat, quamvis post laborem hunc reputet partem, sue sententia contradictoriam, esse tutam.*

Finis primarius creaturæ rationalis bene operantis, quisnã sit?

4. **P**ROBATUR assertio hæc eodem modo quo prior. Ubi talis spes affulget, munus Theologi laborem hunc, & hanc diligentiam postulat. Ergo non frustra laborat, licet non inveniatur quod sperabat, sed post suam diligentiam reperiat, & credat, partem alteram tutam perseverare. Carentia enim effectus intenti non arguit operationem frustra fuisse factam, quando quis, spe prudente nixus, opus aggreditur; siquidem talis operans nec laudè prudentis, nec merito diligentis operarii privandus est. Et sanè in ejusmodi operationibus, finis primarius semper obtinetur, licet finis secundarius sæpe desideretur. Finis primarius omnis creaturæ rationalis rationabiliter operantis est Deo placere, munus suum implendo, eumque conatum ad finem obtinendum adhibendo, quem Deus vult, & ratio postulat. Hic finis semper habetur, adeoque nil meriti deest sic operanti, quamvis finis ille alius, quem Secundarium appello, non obtineatur. Appello, inquam, *Secundarium*, quia licet operans in illum etiam tendat, & media ad ejus acquisitionem adhibeat, nihilominus ille finis, in casibus istiusmodi solum se tenet ex parte objecti materialis quod queritur, non autem ex parte motivi formalis quod de præsentia adest, & impellit operantem, nec ex parte objecti seu finis primarii & proximi, qui queritur. Certè motivum impellens, à quo laudabilitas & honestas actionis humanæ desumitur, semper est præfens. Est enim voluntas Dei jubentis aut consulentis talem industriam; vel, quod in idem recidit, est munus officii postulantis talem conatum; aut demum est honestas industriæ, quia ad talem finem tendimus. Hæc enim ad honestè operandum impellunt, honestatemque in operationes nostras refundunt. Porro rectè operans semper respicit in hæc, tamquam in motivum primarium, atque in finem præcipuum, qui nunquam non obtinetur, quamvis operans ad alterum finem Secundarium, quem secutum sperabat non pertingat. Sic Apostoli, & Christus ipse concionabantur, ut populum converterent, cum tamen sæpe exigua spes conversionis eluceret, & aliquando nemo converteretur. Nec tamen ideo inutiliter laboraverunt, quia sine primario privati non sunt. Idem dicendum in casu nostro.

Rectè operatur, qui finem primarium obtinet, etsi secundarium non aff. quatur.

Cellæ minus consideratè & frustra alios inutili laboris condemnat.

5. Porro, quò major veritatis certò invenienda spes affulget, eò certior apparet assertio; quia munus & obligatio Theologi eò manifestius illum ad talem industriam adhibendam astringunt. Atque hinc patet, Cellæque minus consideratè, atque etiam frustra contra omnes benignæ sententiæ Auctores insurrexisse, eorumque operam eo titulo tamquam inutilem rejecisse, quòd illi in plurimis expressè dixerint, partem suæ sententiæ contradictoriè oppositam esse tutam. Minus consideratè egit, quia unum hominem singularem omnibus omnino gravissimis prudentissimisque Auctoribus bellum indicere, illosque

inutilis laboris condemnare in eo, quòd & ipsi honestum ac utile proficerentur, & omnes alij credunt esse tale, non potest non esse minùs consideratè factum. Sed & frustra eosdem reprehendit, quia illi in omnibus aliquam, & in multis non exiguam habuerunt spem certò perveniendi ad veritatem, vel immediatè per se, vel mediatè per alios, quos suo exemplo animabant, suaque industriâ juvabant. Omnes enim norunt, multas opiniones olim probabiles posterorum industriâ improbabiles evasisse, atque aliquas falsitatis fuisse demonstrativè convictas. Idem in aliis quoque evenire posse sciunt, ideoque, ad hoc præstandum, conatum adhibent, prout munus illorum postulat. Verum sæpe non certò assequuntur veritatem, sed post omnem conatum coguntur fateri partem contrariam esse probabilem; & consequenter aperè fatentur eam esse tutam. Porro hæc agnitio ac protestatio priorem laborem inutilem reddere nequit, quia sequitur prudentem muneris impletionem, ac in eo prudenter impleto fundatur.

6. Nec mirum videri debet, tot Auctores gravissimos affirmare & se & alios posse tutò facere, quod ipsi post diligens examen pronunciant esse peccatum; non enim repugnant sibi invicem istæ assertiones, sed optimè cohærent. Quando enim dicunt, rem illam esse prohibitam, solum directè illam considerant; & quia rationes legi faventes apud ipsos prævalent, directè concludendo dicunt, rem illam esse prohibitam. Sed quando dicunt oppositum esse tutum, contemplantur eandem rem in ordine ad alias circumstantias, rationibusque reflexis & ultimis, ad quas intellectus in rebus incertis recurrit, convicti, absolute ac finaliter dicunt, rem illam esse permisam, quia rationes reflexæ id evincunt. Sic discurrunt Auctores nostræ sententiæ, qui omnibus viis veritatem indagant, eamque inventam aliis evulgant, ut omnes Deo rationabile obsequium præstent, & tandem salvi fiant.

Nulla in eò contradictio, quod utraque pars contradictionis sit tuta.

## ASSERTIO IV.

*Theologus non frustra laborat, examinando opiniones de rebus utrimque probabilibus, quamvis exigua aut nulla spes eluceat aut veritatem certò inveniendi, aut alteram partem probabilitate spoliandi; immo quamvis arbitretur, utramque partem, post suum laborem, mansuram, sicut nunc est, in praxi tutam.*

7. **P**ROBATUR. Inprimis Theologus per talem conatum intellectum suum perficit, In nullo casu dictus Theologorum labor est inutilis. cum omnia utriusque partis fundamenta penetret, & tandem ad unam partem ut absolute veram se determinet, illiusque veritate probabiliter inventa fruatur, & in ea, quantum conditio materiæ patitur, quiescat. Rursus per hoc intellectum acuit, seque aptum ad alias quæstiones non agnatas per seipsum determinandas aptum reddit. Hi fines sunt honestè appetibiles, maximè cum certissima spes eos obtinendi affulgeat. Ergo labor quæstiones ejusmodi à fundamento examinandi non est inutilis, cum ad fines honestissimè appetibiles deserviat. Hæc ratio fundatur in fine intrinseco ac primario intellectus, ideoque haud dubiè evincit intentum. Sicut enim labor ejusmodi ob hunc præcisè finem ab omnibus cen-

tur

cur utilis in speculativis, quamvis nulla sit spe-  
ullam partem suam probabilitate spoliandi; ita si-  
militer in moralibus idem labor ob eisdem fines  
utilis est, cum intellectus ex aequo in omni ma-  
teria ad veritatem ordinatur, tamquam ad finem  
suum intrinsicum & primum.

Labor ille  
Theologo-  
rum utilis  
est ad ope-  
rationem  
honestam  
dirigendam.

8. Probatur secundò, etiam respectu opera-  
tionis honestae, quae est finis extrinsecus intelle-  
ctus practice discurrunt de moralibus. Inprimis  
probabilitas benignae sententiae per hoc amplifica-  
tur. Hoc autem juvat ad conscientiam ritè for-  
mandam. Rursus resolutio talis Theologi ejus-  
dem rationis est cum aliorum resolutionibus. Ergo  
tam utilis est, quam illa. At illa utiles sunt.  
Ergo & ista. Tertio habet Theologus iste ex pro-  
pria industria unde conscientiam formet; quia  
unicuique in rebus utrimque probabilitibus licet  
sequi propriam sententiam, quam post debitam  
diligentiam format. Quarto nonnumquam in-  
venit argumenta, quibus directè concludit rem  
illam esse honestam; semper autem potest hoc  
sperare. At hujusmodi cognitio de directa obje-  
ctorum honestate est valde utilis tum ipsi Theo-  
logo, tum aliis. Ipsi quidem, tum quia fecit quod  
in se est ad inveniendam veritatem, illamque in-  
venit, quod est homine probo dignissimum; tum  
quia voluntas fortius adhæret bono, quod clarius  
& perfectius cognoscit. Per hanc autem indu-  
striam melius cognoscit honestatem rei, quam  
antea; ex meliori autem cognitione majori honte-  
stas in actionem refunditur, juxta dicta *quæst. 4.*  
Præterea operatio, à tali cognitione directa, est  
magis voluntaria, quia procedit à pleniori cog-  
nitione singulorum, in quibus est actio. Eadem  
cognitio est etiam aliis utilis, cum per illam non  
minus regulari possint, quam per aliorum Theo-  
logorum resolutiones. Rursus si resolutio scri-  
pto vulgetur, illa ad distantium, immo & ad po-  
sterorum, aliis libris ac consiliariis destituto-  
rum, notitiam pervenire potest. In quo casu ta-  
lis resolutio non solum utilis, sed prorsus neces-  
saria illis ad conscientiam ritè formandam evadit.  
Tertio demum Theologus in quamcumque par-  
tem quaestionem resolvat, per hanc suam indu-  
striam evadit aptus ad quævis ipsum consentium  
dubia de tali materia solvenda, quæ certè solvere  
non potuisset, nisi quaestionem à fundamentis  
examinasset. Hæc & alia emolumenta hisce simi-  
lia aperte probant, laborem Theologi, quam-  
cumque quaestionem à fundamento examinantis,  
esse simpliciter utilem, quamvis ille antecederet  
ad suum studium existimet, utramque partem  
esse tutam, & utramque etiam post suum laborem,  
tutam remansuram. Porro hæc omnia ex obje-  
ctionum solutione aperte declaranda erunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiectio 1. **O**BJICIT primò. Finis scientiæ ac do-  
ctrinæ moralis, utpote practicae, est re-  
solutio humanorum actuum; ideo enim talis do-  
ctrina discitur & traditur, ut per eam instructi  
secundum rectam rationem agant. Atqui dispu-  
tio seria, quæ Theologus determinat aliquid esse  
illicitum, est prorsus inutilis ad hunc finem, si  
Theologus ille doceat sententiam contrariam esse  
tutam; quia independentè ab illa disputatione  
operans tutus est in conscientia, & licitè sequi  
potest partem contrariam. Similiter, illa reso-  
lutione non obstante, licet facere oppositum.  
Ergo resolutio ac disputatio Theologi, docentis  
partem contrariam esse tutam, est inutilis. Illud  
R. P. A. Terilli *Regula morum.* PARS I.

Qui labor  
jacobus  
sic inutilis?

enim est prorsus inutile, sine quo finis illius &  
simpliciter, & tam facile, ac facilius habetur, ac  
cum illo. Sed finis omnis quaestionis moralis est,  
ut actus nostri rectè fiant. Hoc autem quæ bene  
habetur sine illo labore, quia certi sumus nos  
bene operari sequendo partem oppositam tutam.  
Unde cum labor ille sit difficilis, & facilius omitti  
possit quam assumi, sequitur finem talis laboris  
facilius haberi posse sine illo, quam cum illo.  
Ergo ille labor est prorsus inutilis. Nil enim ma-  
gis inutile inveniri potest, quam quod nec ad  
esse, nec ad melius esse conducit.

Sit quaestio, verbi gratia, an, qui in concursu  
non eligit digniorem, ad restitutionem teneatur?  
Accedat Theologus, qui rem discutiat, & dicat  
sententiam negantem traditam esse à pluribus gra-  
vibus Auctoribus, & esse valde probabilem ac  
tutam, mox tamen profiteatur se contrarium te-  
nere, suamque sententiam multis argumentis,  
longaque disputatione confirmet. Dico laborem  
hujus Theologi esse prorsus inutilem, quia non  
conducit aut ad simpliciter, aut ad melius diri-  
gendam conscientiam electoris. Ille quippe no-  
vit, se bene acturum, si damnum restituat; nec  
Theologi disputatione hoc illum docet, sed asserit  
eum teneri. Itaque disputatio illa inutilis est ad  
honestatem & rectitudinem restitutionis facien-  
dæ. At inutilior est pro honestate non restitu-  
tionis regulanda, quia tota disputatio tendit ad  
ostendendam non restitutionem esse inhonestam.  
Nec dicas, disputationem esse utilem ad osten-  
dendum non restitutionem esse inhonestam. Nam  
contra, quia Theologus ille expressè protesta-  
tus est, eam, non obstante sua opinione, esse  
honestam; quia affirmat, contrariam sententiam  
esse tutam. Ergo, non obstante illius disputatio-  
ne, elector rectè omittit restitutionem. Ergo  
disputatio illa ex ipsa Auctoris sui confessione  
nil facit ad inhonestatem non restituendi. Ergo  
ex propria ipsius confessione talis disputatio inu-  
tilis est. At maxima Theologiæ pars constat hu-  
jusmodi disputationibus, quia qui unam partem  
tenent, aperte fatentur oppositam esse tutam.  
Ergo maxima moralis Theologiæ pars est prorsus  
inutilis, & libri de ea tractantes sunt inutiles.  
Ita Cellæus *lib. 1. quæst. 13. §. 1.*

Respondeo opus, operisque directionem esse  
solum finem extrinsecum tam intellectus, quam  
scientiæ moralis, quamvis hæc communiter tra-  
ditur & addiscatur eo fine, ut datâ opportunitate  
operationem dirigat, eamque rectam reddat. Cæ-  
terum sola hæc directio non est finis adequatus  
talis scientiæ, cum primarius omnis scientiæ finis  
sit veritas, quæ sola est bonum, & finis intelle-  
ctus. Hoc videre est in Geometria, vel Astro-  
nomia practica, quæ à multis addiscitur, non ob  
opus, aut quia intendunt artem illam in praxim  
deducere, sed præcipue ob præclaras veritates,  
quas scientiæ illæ demonstrant. Et tamen haud  
dubiè illæ scientiæ sunt practicae. Ergo idem si-  
militer dicendum de scientia morali. Ergo quam-  
vis in aliquo casu disputatio Theologica non de-  
serviat ad dirigendam operationem honestam,  
non tamen ideo illa censenda est inutilis, quia  
adhuc habet alios fines præstantes & valde pro-  
ficuos, ratione quorum prudenter intendi po-  
test.

Finis pri-  
marius scien-  
tiæ practicae  
non est o-  
pus.

10. Respondeo secundò, Theologos, resol-  
ventes partem suæ sententiæ contrariam esse tu-  
tam, non posse rationabiliter hanc resolutionem  
facere, nisi peracta inquisitione, quam spe veri-  
tatis tandem certò inveniendæ in se susceperant.  
Constans, qui per ac-  
cidens fru-  
stratur sine,  
non est inu-  
tilis.

Declaratio autem ejusmodi, merè consequens talem laborem, non potest eam reddere inutilem, ut constat in probatione *assert. 3.* Præterea per accidens est, quòd Theologus ex vi rationum directè probantium resolverit partem minus tutam esse peccaminosam, cum æquè potuisset conclusisse illam esse licitam; in quo casu labor ipsius pro licito illius usu non fuisset inutilis, cum ille solus in aliorum similium defectu ad conscientiam debitè ac tutò formandam suffecisset. At conatus, qui per accidens frustratur sine intento non est inutilis & frustraneus, nec à quoquam prudente reputatur talis, sed solum ab iis, qui per imprudentiam non aliud iudicium de rebus tamquam bene vel male gestis formant, quàm quòd in effectu industriam sequuto vel non sequuto fundatur.

Omnia illa sunt utilia ad finem, à quibus finis causari potest.

11. Respondeo tertio, juxta posita in *assert. 4.* & dico, laborem Theologi resolventis casum contra partem, quam tam ante quam post suam resolutionem declarat fuisse, esse, & mansuram esse tutam, non esse inutilem, cum ad omnes fines ibi assignatos conducatur. Nunc contra Celladei argumentum adeo, talem resolutionem esse absolute utilem ad conscientias rectè dirigendas, & vel ideo expetendam, licet nullus alius finis intendatur. Inprimis labor, conatus, ac resolutio conatum consequens non solum conducit ad debitè formandam conscientiam, sed etiam ad eam meliùs & laudabiliùs formandam conducit. Conducit ad illam formandam, quia postquam resolutio posita est, illa tam confert ad hunc effectum, quàm quævis alterius Theologi resolutio. At aliqua ejusmodi resolutio est necessaria ad hunc effectum, cum, sine illa prævia, conscientia debitè formari nequeat. At quoties plura adsunt individua ejusdem speciei, quorum aliquod ita indeterminate necessarium est ad effectum aliquem, ut quodvis illorum ad eum sufficiat, toties singula sunt utilia ad effectum illum, cum effectus æquè dependere possit ab uno, quàm ab alio. Sic qui centum cymbas possidet, habet centum media utilia ad navigandum, nec utilitas ac conducibilitas aliarum nonaginta novem tollit utilitatem centesimæ, cum, illis etiam habitis, centesima cymba tam utilis sit ad navigandum, quàm ulla ex reliquis præhabitis. Porro qui contenderet frustraneum esse, centesimam cymbam edificare, quia labor ille esset inutilis ad navigandum, prorsus ineptiret; nullus enim labor potest esse inutilis ad finem illum, pro quo obtinendo conficit instrumentum essentialiter & intrinsicè idoneum. Itaque etsi argui posset tamquam imprudens, qui centesimam cymbam fabricaret, eò quòd faceret expensas non necessarias, non tamen argui posset ex eo capite, quòd laborem subiret ad navigandum prorsus inutilem. Hæc enim accusatio esset evidenter falsa. Idem penitus locum habet in casu nostro, cum centesima resolutio non sit minus utilis ad conscientiam ritè formandam, quàm centesima cymba ad navigandum. Hinc detegitur hallucinatio Celladei hoc modo arguentis, *Illud est prorsus inutile, sine quo finis per illud inventus & simpliciter & æquè facile haberi potest; ac cum illo.* Hæc enim propositio non est vera, si procedat de iis, à quibus etiam effectus procedere potest, quamvis ab aliis æquè facile prodiret, si priora illa deessent. Præterea illa propositio solum evincit, rem ejusmodi non esse necessariam in individuo ad talem effectum, quamvis sit in specie necessaria, & utilis in individuo, ut videre est in exemplo cymbarum. Cen-

Insignis æquivocatio Celladei.

tesima enim cymba tam utilis est ad navigandum, quàm ulla alia antea habita, quia illa sufficit ad navigandum, & tam bene illà uti possumus ad talem effectum, quàm ullà alià. Utitur ergo Celladeus principio ad probandam inutilitatem rei in individuo, quæ solum applicari potest ad arguendam illam non esse in individuo necessariam, quæ sine dubio est non parva hallucinatio.

12. Verum, argumentum ne quidem probat rem ejusmodi non esse simpliciter necessariam etiam in individuo ad talem effectum. Certè sicut oculus est simpliciter necessarius ad videndum, & navis ad navigandum; ita diligens Theologi labor & seria castis resolutio est necessaria ad conscientiam in rebus incertis debitè ac rectè formandam. At omnis oculus aliquomodo, nempe vagè ac indeterminate, est necessarius ad videndum, ut Logici agentes de suppositione vaga & indeterminata demonstrant. Ergo pariter omnis seria Theologi resolutio est vagè ac indeterminate necessaria ad conscientiam in rebus incertis ritè formandam. Ubique enim eadem ratio aperte valet. Ergo sicut solum inferri potest, quòd oculus A non sit determinatè necessarius ad videndum, nisi ex suppositione, quòd alius oculus non adsit, quamvis semper ad videndum sit utilis & indeterminate necessarius; ita solum inferri potest, hanc seriam Theologi resolutionem non esse determinatè necessariam ad conscientiam rectè formandam, nisi aliæ resolutiones absint, quamvis ad hoc semper sit utilis, & ad illud indeterminate necessarius, etiam in præsentia aliarum.

Resolutio Theologi est simpliciter necessaria.

13. Quod si ad resolutionem ipsam, prout ad posteritatis emolumentum typis evulgatur, respiciamus, patentior & crassior longè est Celladei error, quàm in priori consideratione; statim enim apparet, talium librorum copiam non modò utilem, sed posteritati esse prorsus necessariam. Omnes enim aliquibus libris ad studium pro conscientia ritè formanda necessariò impendendum indigebunt. Multi libri atteruntur, multi comburuntur, non omnes ad omnium manus pervenire possunt. Ingens proinde eorum copia est prorsus necessaria. Unde libri, à modernis Theologis editi, utiles ac necessarii sunt pro posteritate, idque verum est, quamvis sæpe dicant, sententiam suæ opinioni contrariam esse tutam, quia hoc non modò dictam utilitatem non impedit, ut patet, sed etiam auget, ut mox videbis. Interim mirum est, Celladeum eò progressum esse, ut omnium ferme Avtorum libros tamquam superfluos & inutiles ex eo capite rejiceret, ex quo juxta omnium persuasionem & certissimam veritatem non solum sunt valde utiles, sed absolute necessarii.

Resolutio nec Theologo si sunt necessariae pro posteritate.

14. Rursus labor ille, ac illa Theologi resolutio ad conscientiam rectè formandam conducit, quia certam rei propositæ probabilitatem roborat ac confirmat. Hæc autem probabilitas est fundamentum unicum, ex quo in incertis tota ratio rectè formandi conscientiam dependet. Ergo quod ad hanc probabilitatem conservandam & augendam utile est, illud pariter ad conscientiam rectè formandam est utile. At labor ille Theologi ad probabilitatem quæstionis propositæ conservandam & augendam utilis est. Ergo utilis etiam est ad conscientiam debitè formandam. Minor constat, quia per hoc ipsum plures post debitum quæstionis examen approbant fundamenta directè tamquam probabilia, eorum hæc vim ac probabilitatem & exercitiè demonstrant & signatè affir-

Qui fatetur opinionem suæ contrariam esse tutam, auget probabilitatem opinionis quam rejicit.

affirmant. At per hoc ipsum talis probabilitas non solum conservatur, sed etiam amplificatur. Et quidem hoc verum est, in quamcumque partem ille quaestionem resolverit. Si dicat, partem minus tutam esse licitam, nullum est dubium, nec Celladeus ipse diffiteri poterit. Si verò ex vi rationum directarum dicat partem illam esse peccaminosam, & tamen, hoc non obstante, inveniat rationes directè faventes honestati esse tanti ponderis, ut illas fateatur esse probabiles, non minus confert ad reddendam earum probabilitatem certam, quam si absolute existimasset partem illam esse etiam directè licitam. Ratio est, quia per hoc ipsum, quòd intelligitur uni parti adhæreat ut verè, necesse est, rationes contrarias minores apparere, minores què vim exercere, quam si animus nulli parti assensum præbisset; ut fusè ostendi in *tractatu de conscientia probabili quaest. 2. num. 3. & seqq. item quaest. 8. num. 27. & seqq.* Ergo si hoc non obstante, argumenta illa homini sic affecto videantur gravia, illa certò sunt non solum magna, sed multò majora, quam ipsi appareant, ut locis citatis fusè declaravi. Ergo sunt certò probabilia. Itaque licet ipsa nuda assertio, dicens restitutionem in argumento propositam esse præceptam, ad probabilitatem partis oppositæ directè non juvet, juvat tamen indirectè, quatenus argumenta partis contrariæ comparari possunt non solum cum motivis oppositis, sed etiam cum iudicio motivis illis præstito; hæc autem comparatio multum juvat ad dictam probabilitatem. Ergo tota indagatio atque diligens quaestionis resolutio, quæ ad dictam comparationem sunt prorsus necessaria, ad probabilitatem contrariæ partis conservandam & amplificandam conducunt. Ergo utiles etiam sunt ad conscientiam rectè formandam.

15. Rursus, dicta resolutio Theologi est utilis ad formandam conscientiam, non quidem de honestate restitutionis, sed de ejus necessitate; quicquid prudenter crederet illam esse præceptam, nec ad alia attenderet, per quæ conscientia indirectè existimaret, restitutionem non esse necessariam, is sine dubio ad restituendum teneretur. Et restituendo non solum bene faceret, sed actum justitiæ ac obedientiæ exerceret. At actus ejusmodi melior est ac magis meritorius, quam mera restitutio ex similibus motivis non regulata, sed ob levitatem aut serupulum in actum secundum deducta. Ergo talis resolutio undique utilis est.

16. Præterea in eo etiam errat Celladeus, quòd dicat Theologum, assertentem sententiam suæ opinioni contrariam esse tutam, ore proprio fateri, totam suam industriam esse inutilem. Certè innumerabiles gravissimiq; Auctores, Celladeo ipso teste, hoc expressè fatentur de suis sententiis, nec tamen quisquam eorum unquam dixit, aut factus est, suum laborem fuisse inutilem. Qua ergo veritatis specie dicitur, eos proprio ore suæ industriæ inutilitatem professos esse? dixerunt ea, inquit, ex quibus inutilitas præsentis legitime inferitur: ergo æquivalenter saltem, & remotè hoc de se facti sunt. Sed contra est; quia hoc non est proprio ore talem inutilitatem agnoscere, sed solum præbere argumentum, ex quo inutilitas illa inferatur. Quæ duo maxime differunt. Verum, esto, confessio circumstantiæ aut argumenti, ex quo aliquid aliud statim evidenter inferitur, sit æquivalens rei illarum confessio; hoc tamen verum non est, quando illatio illa aut fallibilis est, aut valde remota. Tunc enim exhibitio talis argumenti nec est, nec censetur esse pro-

pria illorum confessio, sed aliena tantum accusatio. Quod si tota accusatio sit non solum fallibilis, sed falsa, & in patenti rerum ac vocum æquivocatione consistat, ut factum est in casu nostro, tunc enim verò inutilitas operis non ex propria operantis confessione stabilitur, sed tantum ex aliena malè compacta illatione apparenter & falsè deducitur, ab aliis autem ut nullius prorsus momenti exploditur.

17. Rursus illa Celladei illatio: *Electus ille independenter à Theologi resolutione, novit se bene acturum si damnum restituat. Nec Theologi disputatio hoc illum docet, sed asserit, eum teneri.* Ergo disputatio illa inutilis est ad rectitudinem restitutionis faciendæ regulandam. Hæc, inquam, illatio nulla est, quia licet Theologus non doceat restitutionem damni esse honestam sub generica ratione honestatis, neque enim hoc quaeritur, docet tamen illam esse honestam tali specie honestatis, nempe justitiæ, obedientiæ, &c. Jam consulens potest Theologo fidem dare, atque ita ex vi resolutionis datæ justitiam & obedientiam exercere, cum sine illa, aut alia simili resolutione tales virtutes exercere non potuisset. Jam quod juvat ad honestatem in specie, haud dubiè est utile, immo utilius ad finem scientiæ moralis, quam quod solum juvat ad rationem honestatis in genere, aut ad virtutem minoris dignitatis. Neque obstat, Theologum expressè dicere, non restitutionem esse licitam, nam hinc solum sequitur, consulentem posse pro libito sequi ipsius resolutionem, sive in ordine ad solvendum ex titulo justitiæ, sive in ordine ad non solvendum omnino, modo directæ tantum illius opinioni subscribat, & ad reflexam non attendat, eo quòd in rebus justitiæ sequi velit non solum certa & indubitata præcepta, sed etiam incerta, saltem quoties obligatio prudenter creditur urgere. Porro ex eo quòd ad directam resolutionem tantum attendat, illique fidem præbeat, eo ipso confert, ut dictamen conscientiæ obligantis illum ad restitutionem. Quod si ad indirectam ejusdem resolutionem respiciat, & formet iudicium prudens, quod tutum sit non restituere, eo ipso consurgit conscientia deobligans eum à restitutione. Itaque ita verum est, electorem posse se accommodare uni parti resolutionis à Theologo factæ, restitutionem quæ rectè omittitur, ut tamen alteri parti resolutionis stare possit, illamque pro regula accipere, atque ita justitiam & obedientiam exercere, reparando damnum illatum ex illarum virtutum stricta obligatione. Ecce quot modis labitur argumentum hoc, quòd Celladeus tamquam longè efficacissimum extollit.

18. Obicit secundò. Auctores, docentes partem propriæ suæ opinioni contrariam esse tutam, in eo fundantur, quòd leges præcipientes partem, quam ipsi præceptam existimant, non sint sufficienter promulgatæ, ideoque non obligent. Ergo labor eorum est prorsus inutilis, quia in materia legum non sufficienter promulgatarum disputare, an hoc vel illud sit vel non sit malum, perinde est ac disputare, utrum hoc vel illud sit peccatum, ubi nullæ sunt, & ubi supponuntur nullæ esse leges; quia in moralibus, & in ordine ad faciendum bonum & malum, lex non promulgata, & non lex pro eodem reputantur. At prorsus inutile est, mundum replere libris disputantibus de peccato & non peccato in rebus, circa quas non modò nullæ sunt leges, sed libri ipsi contestantur nullas esse; scitur quippe, ubi non est lex, neque esse posse peccatum. Ergo inutile est libros componere de peccato & non peccato

in rebus, circa quas non modò non sunt ullæ leges sufficienter promulgatæ, sed libri ipsi palam contestantur, eas non esse sufficienter promulgatas. At hujusmodi sunt omnes materiæ, in quibus Auctores dicunt, doctrinas suis contrarias esse tutas. Exponant ergo cui fini inserviant libri sui, Ita Celladeus § 1.

**Responsio.** Respondeo, Auctores benignæ sententiæ fundari etiam in eo, quòd nulla lex sit sufficienter promulgata, quamdiu post omnem diligentiam adhibitam probabile est, legislatorem nunquam edidisse talem legem. Quòd principium fusè explicabitur *quæst. 43.* de eo autem egi etiam hîc *quæst. 2.* atque in *tract. de Consi. prob. quæst. 23. num. 14. & seq.* Hoc autem posito, sciendum est varias esse leges indubitatas, quarum una, ab omnibus admittæ, obligat ad non operandum in dubio, donec veritas diligenter inquisita fuerit, ita ut prudenter præsumamus, talem rem non esse vitatam, sed permissam. Hæc lex reflexa locum habet in omni dubio de honestate operationis. Itaque quotiescumque dubium aliquod apparet de honestate operis, omnes tenentur partem tutiorem amplecti, donec dubium prudenter deposuerint. Ad prudentem autem dubii depositionem necesse est, ut periti rerum ac legum rem examinent. Tales sunt Doctores Theologi, ac Jurisperiti. Horum ergo est examinare, an dentur leges istiusmodi. Si illi post diligens studium reperiant legem non existere, aut certè non esse sufficienter promulgatam, tunc optimè concludunt nullam de tali re faciendam obligationem existere, quia nulla lex illam præcipiens est sufficienter promulgata. Hoc posito, statim apparet, notitiam de lege non sufficienter promulgata non antecedere, sed subsequi examen peritorum, atque in eo unice fundari. Ergo examen illud non est inutile, sed utilissimum ad regulandam conscientiam, quia sine illo regulari non potest, nisi in omnibus se arctet, & partem tutiorem ex obligatione selectur, ad quod tamen certum est, nos non teneri. Jam si ante examen Doctorum certò constaret, nullam esse legem præipientem aliquid, utique frustra laboriosè quareretur, an illud esset peccatum & prohibuit. Verùm Doctores benignæ sententiæ hoc modo non procedunt, ut patet. At si hoc non constet nisi per eorum examen & attestacionem, ut in casibus controversis evenit, evidens est, illorum laborem conscientis rectè formandis esse prorsus utilem & necessariam. Jam argumentum Celladei in eo evidenter peccat, quòd procedat ex suppositione antecedenti ad industriam Doctorum damnandam, eo quòd constet, nullam dari legem sufficienter promulgatam, cum quòd hoc constet nobis, nosque supponamus legem non esse sufficienter promulgatam, sit suppositio consequens peritorum industriam ac resolutionem. Quæ cum ita sint, aliud concludere non possum, quam argumentum hoc omni fundamento carere, & esse meram ac palpabilem æquivocationem. Distinguat hæc Celladeus, & clarè videbit, libros morales Auctorum benignæ sententiæ non esse inutiles, sed utilissimos ac necessarios, nec opus erit, ut ipsi exponant cui fini libri ipsorum deserviant, cum ille neminem hæc intelligentem ac distinguentem latere possit.

19. Dices. Ergo novæ saltem de rebus ejusmodi disputationes erunt inutiles, cum jam constet, leges illas non esse sufficienter promulgatas.

Respondeo, illas non esse inutiles ad hoc, ut constet legem non esse sufficienter promulgatam, quia hoc æquè constat ex vi posteriorum ac priorum examinationum, imò id ipsum semper certius constat, quòd plures rem examinantes id ipsum confirmant. Aliquando enim contingit legem verè existere, etsi periti ab initio putarent nullam ejusmodi legem dari, & consequenter etsi illa tunc sufficienter promulgata non esset. Posteriorum autem industria detexit legem illam existere, eamque promulgavit. Idem de aliis contingere potest. Jam cum omnes ex officio teneantur in rebus incertis, quantum possunt & debent, veritatem diligenter investigare, utique non frustra laborant eadem iterum examinando, quia vel legem latentem erunt, vel certè nos magis in eo confirmant, quòd illa non solum antiquorum tempore, sed etiam nunc non sit sufficienter promulgata. Præterea etsi labor novæ resolutionis videri possit minus utilis ipsi resolventi, cum jam sciat, leges tales non esse sufficienter promulgatas, sequæ ad veritatem ulterius investigandum non obligari, nihilominus illa resolutio, & libri illam continentem respectu posteriorum utiles sunt, & quodammodò necessarii, quia illi etiam non minus quam antiquiores dubitabant, an tales res sint præceptæ nec ne? Ergo indigentur libris atque Doctoribus, ut eorum doctrinâ mediante, conscientiam suam debite forment. Atqui ad hoc hodiernæ resolutiones ac libri hodierni tam utiles, imò in multis, maximè quæ spectant ad jus humanum, utiliores sunt, ac magis necessarii, quam Antiqui. Nil ergo certius talium librorum ac resolutionum utilitate.

20. Objicit tertio, Auctores, qui tradunt partem suæ sententiæ oppositam esse tutam, dicunt contradictoria; dicunt enim restitutionem, verbi gratiâ, esse necessariam, quia est præcepta; & mox subjungunt, tutum esse non restituere, quia restitutum non est præcepta. Hoc autem idem est ac dicere, restitutionem esse & non esse necessariam. At restitutionem esse necessariam, & restitutionem non esse necessariam, sunt contradictoria. Ergo dicunt contradictoria. Ergo nil dicunt, quia sicut qui jubet contradictoria, nil jubet; ita qui dicit contradictoria, nil dicit. Ergo inutiliter disputant & libros edunt, quia disputatio & liber tam est inutilis, ac si auctor nil prorsus locutus fuisset. Confirmatur exemplo libri, qui prodit, in quo quæstiones morales proponuntur, *an hoc, an illud liceat?* Mox ad singulas respondetur *licet: non licet.* Hic modus scribendi prodit à doctrinâ eorum, qui dixerunt, partem suæ opinioni contrariam esse tutam; immo est legitima proles doctrinæ de probabilibus. Ita Celladeus § 3. ubi expressè fatetur, se nec proprio studio, nec alienâ ope, ad hoc singulariter quæsitâ, assequi potuisse, quomodò Auctores illi sibi non contradicant. Habet ergo argumentum hoc pro insolubili.

Respondeo argumentum nullam penitus vim habere; contradictio enim est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem. Hoc non faciunt Auctores illi, nam quando dicunt, partem contrariam esse tutam, loquuntur de parte illa reflexè considerata prout subsistat certæ probabilitati de sui honestate, & prout vallatur omnibus rationibus reflexis ac ultimis, ad quas respicere possumus. Ideo pro finali conclusionem dicunt, partem illam, omnibus omnino consideratis, esse licitam. Rursus directè considerant eandem partem, rationesque solum directè probantes

Celladeus confundit suppositionem consequentem cum antecedenti.

Objeccio.

Non sibi contradicit, qui dicit opinionem suam contrariam esse tutam.

bantes examinant, omnibusque illis diligenter inspectis, vident rationes faventes legi prevalere rationibus libertati faventibus, ideo pronunciant in favorem legis, suamque sententiam proferunt dicentes, restitutionem, v. g. esse necessariam. Hæc est sententia non ultima, quam ex mera rationum directè probantium inspectione proferunt. Deinde considerant rationes reflexas, iisque inspectis dicunt, nullam simpliciter dari obligationem, quia omnibus inspectis, rationes libertati faventes longè prevalent, multisque viis concludunt nullam dari obligationem restituendi. Prima resolutio casus non est omnino absoluta, sed implicite saltem, & ex mente Auctorum illam tradentium explicitè conditionata, quasi dicerent, *Tenendum esse, quod detur obligatio restituendi, si questio directè tantum examinetur, & ex rationibus tantum directè probantibus sententia proferatur.* Secunda verò sententia est absoluta, & non nisi post ultimam causæ revisionem, omnibus argumentis tam directis quam reflexis debite consideratis, fertur, eaque Auctor absolute pronunciat, *nullam dari obligationem restituendi.* Hic est apertus, hic genuinus Auctorum illorum sensus, quem cum Celladeus iterum consideraverit, atque in eo ne umbram quidem affirmationis & negationis ejusdem de eodem secundum idem invenerit, fatebitur fortasse, se, aliena ope adjutum, tandem clarè intellexisse, quod Auctores in præsentî questione sibi non contradixerunt.

Presumptio valida contra Celladeum.

21. Consideret rursus, difficile prorsus esse ut viri oculatissimi, quales ex antiquioribus fuerunt Medina, Vasquez, Suarez, aliique ejusdem classis, quales ex recentioribus sunt Joannes à S. Thoma, Martinus Esparza, aliique Celladeo coætanei; consideret, inquam, difficile creditu esse, tam hos, quam omnes omnino Doctores, qui à centum annis scripserunt, & questionem hæc in terminis examinauerunt, in re tam aperta, non per ambages, sed immediate ac aperte sibi non semel, sed innumeris vicibus contradixisse. Credibilis est, Celladeo, te unum hac in re deceptum esse, quam omnes omnino alios in eadem prorsus materia toties tam turpiter hallucinatos esse. Itaque si responsio directa tibi non arrideat, ex prudentiali hac & reflexa præsumptione crede, illos, non sibi contradixisse, sed te, quod hominis est, hac in re aliquid humani passum esse.

Sic enim & tuæ, & illorum existimationi consultes. Tuæ quidem, quia contra omnes indebitè te non eriges. Alienæ verò, quia communi omnium judicio de ipsorum summa ingenii ac prudentiæ laude tuam etiam calculum adjunges.

22. Quod attinet ad Auctorem illum, omnibus quidem notum, sed tacito nomine à Celladeo expressum, dico, me talem scribendi modum non probare, non quòd similis scribendi modus noxius foret, si omnia debite juxta mentem cautè scribentium accipiantur; in eo enim casu modus ille scribendi aliud non exprimeret, quam si diceret, omnes opiniones in libro illo collectas, quæ libertati favent, esse totas, quamvis contrariæ sint probabiles, & à multis ex vi solarum rationum directè probantium censantur esse veræ. Displicet tamen ille scribendi modus, quia dat ansam malevolis carpenti omnia, & quia sciolis præbet occasionem existimandi, dissertationes morales esse frivolas, cum questiones eadem sub terminis apparenter contradictorias proponantur ut veræ. Itaque Auctor ille meo judicio longè melius fecisset, si novum illum & inusitatum, ac proinde cavillationibus subjectum scribendi modum non adhibuisset; speroque fore, ut nemo in posterum ejus vestigia secuturus sit.

Modus scribendi cujusdam non placet.

23. Omitto, quæ Celladeus deinde in hæc quest. subjungit de bello, & casum Collationibus, quia nil prorsus habent speciale, quod in reliquis non contineatur. Contendit enim ostendere, quod omnis disputatio pro parte tutiore esset inutilis in illis materiis, si disputans tandem resolveret, partem oppositam, non obstantè sua assertionem, esse absolute tutam. Primò proponit laborem ac modum disputationis, deinde asserit illum esse prorsus inutilem. Sed ut id probet, se remittit ad argumenta prius à se allata, per quæ putat se talis operis inutilitatem palam ostendisse. Verum sicut constat argumenta illa in casibus antea propositis nullius fuisse momenti, ita pariter idem dicendum in casibus istis, modò omnia utrobique eodem modo se habeant, ut ipse supponit, & omnes, qui in casibus ejusmodi debite arguere volunt, debent supponere. Quocirca cum nulla sit peculiaris difficultas in ipsa re, sed solum novi casus prioribus quoad omnia prorsus similes proponantur, non opus est peculiari eorum discussione.

Omittitur ex parte aliorum, quia sunt prioribus similia.



QUÆ